

Et inibi ratio : *sub nomine fictæ Religionis* ; etiam ad prædictiones Astrologicas concludit, dum generaliter tales sortilegi improbantur, & falsariorum nomine veniunt, quod homines fictæ alicujus religionis prætextu fallant ; Atque ita in pari causa ponendi sunt Astrologi, quando sub prætensa quadam divinitatis specie, homines falsa prædicendo, scienter fallunt, & sub nomine fictæ alicujus regulæ ignorantibus imponunt, & tectè suam nequitiam exercent ; Cum enim etiam hi, falsa scienter prædicando, bona civium deminuant, & sic formale criminis falsi committant, ideo merito ad falsarios referri licebit, prout tradit Ungepauer ad *Decretal. tit. de Sortileg.* Idque eo magis procedet, si pretio fortasse corrupti, tale quid in odium unius, & gratiam alterius fecerint.

Th. XXXII.

*A super-  
stitione ca-  
vendum  
est, & de  
Astrolabio.*

Sedulo vero in hisce prædictionibus Genethliacis ab omni *superstitione* cavendum est, in quo facile homines simplices labuntur. Atque huc spectant, non tantum pia Patrum monita superius adducta ; Verum etiam recentiori ævo, omnes ejusmodi superstitionis revelationes penitus prohibentur ; Ita de Jure Belgico refert Zypæus ; quod juxta decreta synodus Provincialis Mechlinensis, sancitum reperiatur ; Ut nemo prædictionibus & arcanorum revelationibus *superstitiosis* se addicat, sub pœna perpetui exilii, in *Notit. Jur. Belgic. Lib. IX. sub rubr. de Malef. & Mathemat.* Atque huc referre licet modum inquirendi furta per inspectionem *Astrolabii*, id est situm stellarum & observationem motuum ipsarum ejus temporis, quo furtum commissum fuerit ; quod omnino & rectè damnatur juxta *cap. 2. X. de Sortileg.* Ubi Alexander III. Gradensi Patriarchæ rescribit : *Ipsè autem coram nobis viva voce proposuit, quod non ea intentione, quod invocaret demonium, ierat : sed*  
nt